

II.

König Ludwig bestätigt eine Abmachung des Grafen Dietrich von Cleve bezüglich der Verpfändung von Duisburg.

Frankfurt, 1317 Mai 20.

Hs. A III 2 fol. 10^v (C), C III 9 fol. 28^v (D) im Staatsarchiv Düsseldorf.

Ludowicus¹ dei gracia Romanorum rex semper augustus spectabili viro Th(eoderico) comiti Clevensi² consanguineo suo karissimo gratiam suam et omne bonum. Insinuacio tua nobis proposita patefecit, quod opidum³ Dūsenburch⁴ cum omnibus suis pertinenciis et iuribus, quod ab imperio pro certa summa pecunie tytulo⁵ pignoris tenuisti, Agnese sorori tue constitueris in dotem, assignando ipsum spectabili viro Adolpho⁶ comiti de Monte cui prefatam sororem tuam matrimonialiter copulasti, pro ea summa pecunie pro qua tibi ab imperio extitit obligatum nulla tibi vel heredibus tuis redempcione sed imperio reservata. Quia igitur prefati oppidi obligacio seu alienacio in grave tuum et dominii⁷ tui dispendium vergere dinoscitur⁸, nos propter grata que nobis et imperio exhibuisti obsequia et que inantea exhibere poteris graciosam tuis indemnitatibus⁹ precavere volentes, tibi tenore presencium indulgemus et damus liberam facultatem, ut dictum oppidum cum eius pertinenciis et iuribus nostro et imperii nomine a predicto comite de Monte sororio tuo et prefata sorore tua pro ea summa, pro qua ipsis obligatum¹⁰ extitit, redimere valeas non obstantibus condicionibus pactis seu convencionibus quibuscumque inter vos super hoc habitis¹¹ quacumque firmitate vallatis, que vel quas quoad¹² hoc irritamus et¹³ viribus vacuamus, de regie plenitudine potestatis, mandantes universitati dicti oppidi firmiter per presentes, quatinus¹⁴ tibi huiusmodi redempcione per te facta fideliter in omnibus quantum de iure tenentur pareant et intendant. In cuius¹⁵ rei testimonium presentes litteras conscribi et signum maiestatis nostre iussimus communiri. Datum in Frankenfurt¹⁶ XIII kalendas iunii anno domini M ccc septimodecimo, regni vero nostri anno tercio.

¹) Lodouicus D ²) Cliuensi D ³) oppidum D ⁴) Dusenborch D
⁵) tytulo D ⁶) in C über der Zeile. ⁷) in C dñi durchstrichen, darüber dominei; dominii D ⁸) dignoscitur D ⁹) indemnitatibus D ¹⁰) obligata D
¹¹) habetis D ¹²) quas ad D ¹³) fehlt bis vac. in D
¹⁴) quatenus D ¹⁵) D: In cuius etc, dann Datumzeile ¹⁶) Franchenfurdt